An. et vol. CIX | 4 Augusti 2017 | N. 8

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico – Città del Vaticano – *Administratio*: Libreria Editrice Vaticana

ACTA FRANCISCI PP.

LITTERAE DECRETALES

I

Quibus Emmanueli González García Sanctorum honores decernuntur.

FRANCISCUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

«Unum ambulans volo tramitem, illum quidem qui ad Tabernaculum ducit, et in hoc tramite ambulans esurientes ac pauperes complurium ordinum conveniam... et in eos Vitae laetitiam devocabo».

Haec Emmanuelis González García verba eius vitae cursum signant. Hac de causa Decessor Noster sanctus Ioannes Paulus II eum exhibuit «fidei eucharisticae exemplar, cuius hodiernam Ecclesiam afficere pergit exemplum».

Hic fervidus Ecclesiae pastor Hispali in Hispania die XXV mensis Februarii anno MDCCCLXXVII natus est. Eximius Seminarii tiro pietate studioque enituit. Die XXI mensis Septembris anno MCMI a beato Marcello Spínola sacerdos est ordinatus. Primo sacerdotii tempore in oppido *Palomares del Río* quaedam spiritalia expertus est: «Coram Tabernaculo mei sacerdotii inspexi munus, quod antea numquam cogitavi». Annis MCMII-MCMV Onobae fuit cappellani, proinde I die mensis Martii anno MCMV Onobensis paroeciae Sancti Petri vicarius oeconomus est nominatus ac tandem archipresbyter.

«Est paroecia viginti milium animarum – narravit postea – quae cotidiana communione eucharistica caret». Decem annis eius studium et incepta apostolica illius urbis faciem commutaverunt. Die IV mensis Martii anno MCMX Sodalitatem Trium Mariarum et Discipulorum S. Ioannis pro Tabernaculis Calvariis condidit. Per novas institutiones «meam Familiam Eucharisticam», ut aiebat, complevit: quae sunt Reparatio Infantilis Eucharistica et Iuventus Eucharistica Reparatrix, Missionarii Eucharistici Dioecesani (anno MCMXVIII), Sorores Missionariae Eucharisticae Nazarethanae (MCMXXI) et Missionariae Eucharisticae Saeculares Nazarethanae (anno MCMXXXIII). Luculentus fuit scriptor operum potissimum eucharisticorum et paedagogiae catecheticae. Eius primus liber, cuius titulus «Lo que puede un cura hoy» perdiu enchiridion fuit spiritalitatis Seminarii tironum Hispanorum et Latinorum Americanorum. Die VIII mensis Novembris anno MCMVII ephemeridem quae est «El Granito de Arena» condidit. Die VI mensis Decembris anno MCMXV Episcopus Auxiliaris Malacitanus electus est, die XX mensis Ianuarii anno MCMXVII Administrator Apostolicus Malacitanus, et die XXII mensis Aprilis anno MCMXX Episcopus dioecesanus. Eius in episcopali munere summi ponderis fuit eucharistica ratio ac studiose est nisus ut novum Seminarium aedificaretur. Die XI mensis Maii anno MCMXXXI manipulus seditiosorum hominum fere omnia Malacitana templa combusserunt, episcopales etiam aedes. Animose turbae occurrit et seditiosis se tradidit, sed non est captus. Quoniam seditiosi hospitium sibi praebentes minis insequebantur, *Calpen* petere est coactus, ubi a catholico Episcopo est receptus. Dehinc suo dilecto gregi ex exsilio coacto inservire coepit. Die XXVI mensis Decembris anno MCMXXXI ad dioecesim rediit, domicilium Arundae ponens. Mense Octobri anno MCMXXXII visitationis «ad limina» causa Romam se contulit. Cum rediret et de sua vita timeret, a Sancta Sede iussus est Matriti commorari, ubi mansit usque ad annum MCMXXXV. Ibi dioecesim Malacitanam moderari perrexit et in institutiones eucharisticas a se conditas opus suum contulit. Die V mensis Augusti anno MCMXXXV, Summo Pontifici obsequens, ad dioecesim Palentinam trasmigravit. Hoc vitae postremo tempore Dei populo sibi commisso subvenire pastorali cura studuit, omnes eucharisticas institutiones renovato impetu iuvit, ephemeridem eucharisticam pro parvulis condidit ac potissimum Seminario et sacerdotibus curandis operam dedit. Mense Octobri MCMXXXIX in gravem morbum delapsus est. Matritum delatus, die IV mensis Ianuarii anno MCMXL, sanctitatis fama collecta, obiit. In Sanctissimi

Sacramenti sacello Cathedralis templi Palentini sepultus est, ubi in lapide legitur: «Postulo ut prope Tabernaculum sepelliar, ut mea ossa post mortem, aeque ac linguae et meus vitae calamus transituris continenter repetant: “Ibi est Iesus! Iesus est ibi! Nolite eum deserere!”».

A die II mensis Maii anni MCMLII ad diem XXIX mensis Septembris anni MCMLX Palentiae Processus Informativus celebratus est atque a die XXX mensis Novembris anni MCMLXXXI ad diem III mensis Maii anni MCMLXXXIII Processus Cognitionalis actus est: per Congregationis de Causis Sanctorum Decretum omnes Processus validi declarati sunt. His absolutis rebus iure statutis, die VI mensis Aprilis anno MCMXCVIII sanctus Ioannes Paulus II Decretum de virtutibus herorum in modum exercitis edidit et die XX mensis Decembris anno MCMXCIX pariter de miraculo Decretum. Beatificationis ritus Romae die XXIX mensis Aprilis anno MMI Romae est celebratus.

Canonizationis causa mira sanatio est exhibita, quam die XXIX mensis Octobris anno MMXV Medici Consultores putarunt secundum scientiam inexplicabilem. Postquam sententiam faventem tulit Congressio Peculiaris Consultorum Theologorum die XV mensis Decembris anno MMXV, Cardinales et Episcopi in Ordinaria Sessione die I mensis Martii anno MMXVI hunc eventum, intercessioni Emmanueli González García adscriptum, verum miraculum iudicarunt. Nos Ipsi statuimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum de miraculo die III mensis Martii anno MMXVI foras daret atque in Consistorio die XX mensis Iunii anno MMXVI decrevimus ut beatus Emmanuel González García in Sanctorum catalogum die XVI mensis Octobris eodem anno Romae referretur.

Hodie igitur in foro Petriano inter sollemnia hanc pronuntiavimus formulam:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Salomonem Leclercq, Iosephum Sánchez del Rio, Emmanuelem González García, Ludovicum Pavoni, Alfonsum Mariam Fusco, Iosephum Gabrielem del Rosario Brochero et Elisabetham a Sanctissima Trinitate Catez Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Verbo et exemplo vir hic Dei, quem elegit Dominus sibi in sacerdotem magnum et, aperiens thesaurum suum, miro virtutis et doctrinae splendore coruscare fecit atque omnibus bonis pro bono omnis plebis suae abundare, cuncto populo profuit, gregibus commissis custodit easque direxit in viam salutis, cuius ergo intercessione, detur nobis talis episcopi merita nunc venerantibus, ut per bona opera lucere coram hominibus et per amorem ardere coram Domino valeamus.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto decimo mensis Octobris, anno Domini bis millesimo sexto decimo, Pontificatus Nostri quarto.

EGO FRANCISCUS

Catholicae Ecclesiae Episcopus

Francus Piva, *Proton. Apost.*



Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 349.006

II

Quibus beatae Teresiae de Calcutta Sanctorum honores decernuntur.

FRANCISCUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

« Et, quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae tantum in nomine discipuli, amen dico vobis: Non perdet mercedem suam » (*Mt* 10, 42).

Haec verba Domini plene vixit beata Teresia de Calcutta, in saeculo Agnes Gonxha Bojaxhiu, quae, amore plena misericordi erga pauperrimos inter pauperes, vitam suam siti exstinguendae Domini Iesu dicavit in eius amoris siti erga ultimos.

Scopiae in Albania die XXVI mensis Augusti anno MCMX e Nicolao Gonxha et Drana Bojaxhiu est nata, postrema e quinque filiis. Duodecim annos nata vocationem animadvertit ad vitam religiosam et, patre spirituali Francisco Jambrekovic, S.I., ducente, ingredi Institutum Beatae Virgini Mariae sub titulo Laureti dicatum decrevit, cupiens « missionaria fieri et se ipsam pro Iesu consummare qui pro omnibus mortuus est ». Itaque veluti postulans mense Octobri anno MCMXXVIII est assumpta et nomen religiosum accepit sororem Teresiam, veluti Patronam sanctam Teresiam a Iesu Infante seligens. In Indiam missa est in novitiatum in *Darieelingam*, ubi mense Maio anno MCMXXXI prima nuncupavit vota. Institutionem deinde curavit puellarum Bengalensium Calcuttae, duabus in scholis Instituti. Cotidianum iter per urbem agens ex propinquo paupertatem animadvertit et populi aerumnas. Mense Maio anno MCMXXXVII sollemnia nuncupavit vota, eiusque dotes fecerunt ut moderatrix fieret scholae anno MCMXLIV. Iam illo tempore caritate eminuit, magnanimitate, forti animo atque patientia in durissimo opere explendo, cum quibus coniungebat indolem ad incepta ordinato modo suscipienda atque iucundum ingenium. Die X mensis Septembris anno MCMXLVI, dum *Darieelingam* adibat, accepit illam quam ipsa appellavit « vocationem in vocatione ». Dominus Iesus ab ea quaesivit ut religiosam fundaret com-

munitatem ad pauperrimis inter pauperes serviendum, quae Domini sitim amoris animarumque exstingueret. Postquam suam inspirationem discrimini patris spiritualis et sacrorum Antistitis Calcuttensis subiecisset, accepto indulto Sacrae Congregationis pro Religiosis, Lauretum *Entally* reliquit. Secuta est breve per tempus lectiones prompti auxilii apud Sorores Medicas Missionarias Patnae, deindeque, mense Decembri anno MCMXLVIII, Calcuttam est reversa, ubi fuit hospes Parvarum Sororum a Pauperibus. Paucos dies ante Nativitatem Domini navitatem suam in suburbiis incohavit, invisens aegrotos, congregans et instruens pueros viae et primas aperiens scholas et diribitoria medica. Sic ipsa sua in ephemeride scripsit anno MCMXLIX: «Hodie pulcherrimam didici lectionem: paupertas pauperum vere dura est ipsis. Circumiens quaerebam habitationem. Ambulabam donec e pedibus et bracchiis laborarem. Cogitabam de pauperibus qui profecto dolorem in corpore et animo experiuntur, dum domum quaerunt, cibum, auxilium». Dominus magna eius sacrificia vocationibus remuneratus est, beneficiorum auctoribus et florenti apostolatu. Anno MCML officiali modo nova erecta est Congregatio Missionariarum a Caritate atque, duos post annos, mater Teresia primam aperuit domum pro moribundis. Pro ea unusquisque aegrotans et moribundus erat «Iesus sub Vultu deformato» et erga eum in actionem suum amorem pro Illo transformabat. Anno MCMLV primam aperuit domum pro infantibus derelictis et vix nutritis atque anno MCMLVII primum refugium pro leprosis. Ab illo tempore opera in unaquaque parte mundi floruit. Beata Teresia ut crescentibus subveniret apostolatus necessitatibus, anno MCMLXIII fundavit Fratres Missionarios a Caritate et ramos contemplativos virorum, mulierum et sacerdotum sequentibus annis. In perfecta harmonia orationem et actionem coniunxit. Ipsamet eiusque omnes filiae singulas dies orationibus initiabant, sancta Missa, adoratione eucharistica. Deinde Missionariae Caritatis, nunc sicut tunc, veluti apes operosae examinant ubique afferentes mel caritatis Christi. Ipsis simplicem proposuit regulam, hoc modo recolendam: oratio, absoluta paupertas, caritas heroica erga miseros sine distinctione quoad nationem, religionem, socialemque condicionem. Die V mensis Septembris anno MCMXCVII Calcuttae Deum est assecuta quem in pauperrimis inter pauperes amavit. Eius exsequiae immensam constituebant manifestationem affectus et admirationis pro sua sanctitate. Eius sepulcrum meta est peregrinationum gentium cuiuslibet fidei.

Fama sanctimoniae considerata, accepta a Summo Pontifice dispensatione a V annis exspectationis necessariis ad aperiendam Inquisitionem dioecesanam, Archiepiscopus Calcuttensis die XV mensis Augusti anno MMI Inquisitionem dioecesanam de vita et virtutibus eius ad finem adduxit. Servatis omnibus de iure servandis, sanctus Ioannes Paulus II die XIX mensis Octobris anno MMIII Romae eam beatam proclamavit. In prospectu Canonizationis examini subiecta est coniecta sanatio miraculosa, quam Consilium Medicorum Congregationis de Causis Sanctorum die X mensis Septembris anno MMXV iudicavit sub luce scientiae medicae inexplicabilem esse. Consultores Theologi in Congressu Peculiari die VIII mensis Octobris anno MMXV eiusmodi sanationem intercessioni beatae Teresiae tribuerunt. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die XV mensis Decembris eodem anno iudicaverunt sanationem verum miraculum fuisse. Nosmet Ipsi die XVII mensis Decembris anno MMXV facultatem Congregationi de Causis Sanctorum dedimus ut Decretum super miraculo promulgaret. In Consistorio deinde die XV mensis Martii anno MMXVI decrevimus eius Canonizationem fore die IV mensis Septembris eiusdem anni Romae. Hodie igitur in foro Petriano Missarum sollemniis praefuimus atque hanc pronuntiavimus formulam:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatam Teresiam de Calcutta Sanctam esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eam in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Religiosa haec mulier omnibus lumen divini amoris ostendit per diligentem spiritalem progressum, vitae cotidianae in fiducia et laetitia multas inter difficultates exemplum, de pauperibus et egentibus constantem sollicitudinem, Christi, Ecclesiae eiusque Summi Pastoris dilectionem, atque insignia dedit pietatis testimonia.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die quarto mensis Septembris, anno Domini bis millesimo sexto decimo, Pontificatus Nostri quarto.

EGO FRANCISCUS

Catholicae Ecclesiae Episcopus

Leonardus Sapienza, *Proton. Apost.*



Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 348.998

LITTERAE APOSTOLICAE MOTU PROPRIO DATAE

«Maiorem hac dilectionem» de vitae oblatione.

«Nessuno ha un amore più grande di questo: dare la sua vita per i propri amici» (*Gv* 15, 13).

Sono degni di speciale considerazione ed onore quei cristiani che, seguendo più da vicino le orme e gli insegnamenti del Signore Gesù, hanno offerto volontariamente e liberamente la vita per gli altri ed hanno perseverato fino alla morte in questo proposito.

È certo che l'eroica offerta della vita, suggerita e sostenuta dalla carità, esprime una vera, piena ed esemplare imitazione di Cristo e, pertanto, è meritevole di quella ammirazione che la comunità dei fedeli è solita riservare a coloro che volontariamente hanno accettato il martirio di sangue o hanno esercitato in grado eroico le virtù cristiane.

Con il conforto del parere favorevole espresso dalla Congregazione delle Cause dei Santi, che nella Sessione Plenaria del 27 settembre 2016 ha attentamente studiato se questi cristiani meritino la beatificazione, stabilisco che siano osservate le norme seguenti:

Art. 1

L'*offerta della vita* è una nuova fattispecie dell'*iter* di beatificazione e canonizzazione, distinta dalle fattispecie *sul martirio* e *sull'eroicità delle virtù.*

Art. 2

L'offerta della vita, affinché sia valida ed efficace per la beatificazione di un Servo di Dio, deve rispondere ai seguenti criteri:

a) offerta libera e volontaria della vita ed eroica accettazione *propter caritatem* di una morte certa e a breve termine; nesso tra l'offerta della vita e la morte prematura;

b) esercizio, almeno in grado ordinario, delle virtù cristiane prima dell'offerta della vita e, poi, fino alla morte;

c) esistenza della fama di santità e di segni, almeno dopo la morte;

d) necessità del miracolo per la beatificazione, avvenuto dopo la morte del Servo di Dio e per sua intercessione.

Art. 3

La celebrazione dell'Inchiesta diocesana o eparchiale e la relativa *Positio* sono regolate dalla Costituzione apostolica *Divinus perfectionis Magister* del 25 gennaio 1983, in *Acta Apostolicae Sedis* Vol. LXXV (1983, 349-355), e dalle *Normae servandae in inquisitionibus ab Episcopis facendis in Causis Sanctorum* del 7 febbraio dello stesso anno, in *Acta Apostolicae Sedis* Vol. LXXV (1983, 396-403), salvo quanto segue.

Art. 4

La *Positio* sull'offerta della vita deve rispondere al *dubium*: *An constet de heroica oblatione vitae usque ad mortem propter caritatem necnon de virtutibus christianis, saltem in gradu ordinario, in casu et ad effectum de quo agitur*.

Art. 5

Gli articoli seguenti della citata Costituzione Apostolica sono così modificati:

Art. 1:

«*Ai Vescovi diocesani, agli Eparchi e a quanti ad essi sono equiparati dal diritto, nell'ambito della loro giurisdizione, sia d'ufficio, sia ad istanza dei singoli fedeli o di legittime associazioni e dei loro rappresentanti, compete il diritto di investigare circa la vita, le virtù,* l'offerta della vita *o il martirio e la fama di santità,* di offerta della vita o *di martirio, sui presunti miracoli, ed eventualmente, sul culto antico del Servo di Dio, di cui si chiede la canonizzazione*».

Art. 2,5:

«*L'Inchiesta sui presunti miracoli si faccia separatamente da quella sulle virtù,* sull'offerta della vita o *sul martirio*».

Art. 7,1:

«*studiare le cause loro affidate con i collaboratori esterni e preparare le Positiones sulle virtù,* sull'offerta della *vita o sul martirio*».

Art. 13,2:

«*Se il Congresso giudicherà che la causa è stata istruita secondo le norme di legge, stabilirà di affidarla a uno dei Relatori; il Relatore, a sua volta, aiutato da un collaboratore esterno, farà la Positio sulle virtù,* sull'offerta della vita *o sul martirio, secondo le regole della critica agiografica*».

Art. 6

Gli articoli seguenti delle citate *Normae servandae in inquisitionibus ab Episcopi facendis in Causis Sanctorum* sono così modificati:

Art. 7:

«*La causa può essere recente o antica; è detta recente, se il martirio, le virtù o* l'offerta della vita *del Servo di Dio possono essere provati attraverso le deposizioni orali di testimoni oculari; è detta antica quando le prove relative al martirio o le virtù possono essere desunte soltanto da fonti scritte*».

Art. 10, 1°:

«*nelle cause sia recenti che antiche, una biografia di un certo valore storico sul Servo di Dio, se esiste, o, in mancanza di questa, un'accurata relazione cronologica sulla vita e le attività del Servo di Dio, sulle virtù* o sull'offerta della vita *o sul martirio, sulla fama di santità e di miracoli, senza omettere ciò che pare contrario o meno favorevole alla causa stessa*».

Art. 10, 3°:

«*solo nelle cause recenti, un elenco delle persone che possono contribuire a esplorare la verità sulle virtù* o sull'offerta della vita *o sul martirio del Servo di Dio, come pure sulla fama di santità e di miracoli, oppure impugnarla*».

Art. 15, a:

«*Ricevuta la relazione, il Vescovo consegni al promotore di giustizia o ad un altro esperto tutto ciò che è stato acquisito fino a quel momento, affinché possa preparare gli interrogatori utili ad indagare e mettere in luce la verità circa la vita, le virtù,* l'offerta della vita *o il martirio, la fama di santità,* di offerta della vita *o di martirio del Servo di Dio*».

Art. 15, b:

«*Nelle cause antiche gli interrogatori riguardino soltanto la fama di santità,* di offerta della vita *o di martirio ancora presente e, se è il caso, il culto reso al Servo di Dio in tempi più recenti*».

Art. 19:

«*A provare il martirio, l'esercizio delle virtù o* l'offerta della vita *e la fama dei miracoli di un Servo di Dio che sia appartenuto a qualche istituto di vita consacrata, i testimoni presentati devono essere, in parte notevole,*

estranei; a meno che ciò sia impossibile, a motivo della particolare vita del Servo di Dio».

Art. 32:

«*L'inchiesta sui miracoli dev'essere istruita separatamente dall'inchiesta sulle virtù o* sull'offerta della vita *o sul martirio e si svolga secondo le norme che seguono*».

Art. 36:

«*Sono proibite nelle chiese le celebrazioni di qualunque genere o i panegirici sui Servi di Dio, la cui santità di vita è tuttora soggetta a legittimo esame. Ma anche fuori della chiesa bisogna astenersi da quegli atti che potrebbero indurre i fedeli a ritenere a torto che l'inchiesta, fatta dal vescovo sulla vita e sulle virtù, sul martirio o* sull'offerta della vita *del Servo di Dio, comporti la certezza della futura canonizzazione dello stesso Servo di Dio*».

Tutto ciò che ho deliberato con questa Lettera Apostolica in forma di *Motu proprio,* ordino che sia osservato in tutte le sue parti, nonostante qualsiasi cosa contraria, anche se degna di particolare menzione, e stabilisco che venga promulgato mediante la pubblicazione sul quotidiano *"L'Osservatore Romano",* entrando in vigore il giorno stesso della promulgazione e che, successivamente, sia inserito in *Acta Apostolicae Sedis*.

Dato a Roma, presso San Pietro, il giorno 11 luglio 2017, quinto del Nostro Pontificato.

FRANCESCO PP.

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

Exarchia Apostolica Africae Occidentalis et Centralis in Eparchiam sub titulo Annuntiationis Maronitarum extollitur.

FRANCISCUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Qui familiam suam bonis operibus eruditam conservat et sic praesentibus eonsolatur praesidiis. ut hauriat aquas in gaudio de fontibus ipsius Salvatoris (cfr *Is* 12, 3), Eiusdem gregis utilitati et profectui consulentes, omnia disponere eontendimus, per quae animarum salus ac spiritualis fidelium fructus eidem praestentur. His admoti sensibus, in Ecclesiarum particularium necessitatum studium incumbentes, mentem Nostram convertimus ad dilectos christifideles Ecclesiae Antiochenae Maronitarum, qui in Africa Occidentali et Centrali commorantur. Proinde, dum catholicae huius Ecclesiae inspicimus bonum providaque fovemus incrementa, Synodi Episcoporum Ecclesiae Maronitarum favorabili habito voto auditoque Venerabilis Fratris Nostri Praefecti Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus consilio, Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, eandem Exarchiam Apostolicam Africae Occidentalis et Centralis in Eparchiam titulo *Annuntiationis Maronitarum* nuncupandam extollimus.

Huius novae Eparchiae sedem in urbe Ibadensi in Nigeria collocandam decernimus, ecclesiae in eadem Deo in honorem Beatae Mariae Virginis Dominae Nostrae ab Annuntiatione dicatae gradum et dignitatem ecclesiae Cathedralis tradentes, cunctis consentaneis concessis iuribus et privilegiis, et hanc Eparchiam Apostolicae Sedi immediate subiectam, cuius Patronam apud Deum Beatam Mariam Virginem ab Annuntiatione renuntiamus.

Cetera vero secundum normas Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium temperentur.

Deum tandem quaesumus, ut populi Eius, recto ecclesialium rerum ordine composito, sit cor unum et anima una ac virtute magna semper reddant

christifideles testimonium Iesu, cuius gratia Ecclesiae universae corpus concordia vigeat et stabili unitate firmetur.

Hanc denique Constitutionem Nostram iugiter ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die duodetricesimo mensis Februarii, anno Domini bismillesimo duodevicesimo, Pontificatus Nostri quinto.

De mandato Summi Pontificis
PETRUS card. PAROLIN
Secretarius Status

Leonardus Sapienza, *Protonot. Apost.*
Francus Piva, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 399.200

II

In Republica Islamica Mauritaniae Nuntiatura Apostolica conditur.

FRANCISCUS P.P.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Neminem latet, estque iamdudum usu comprobatum, quantum soleat exsistere utilitatis e publicis officiorum rationibus, quae Apostolicae Sedi cum Civitatibus intercedunt. Quo firmiores ideo redderentur publicae necessitudines inter Sanctam Sedem et Rempublicam Islamicam Mauritaniae, visum est Nobis Apostolicam Nuntiaturam ibi erigi posse. Quae cum ita sint, de communi igitur utriusque partis voto auditaque Congregatione pro Gentium Evangelizatione, Nos, Apostolica Nostra potestate harumque Litterarum virtute, in Republica Islamica Mauritaniae *Nuntiaturam Apostolicam* constituimus, cuius sedem «pro nunc» in urbe Dakaria collocamus, cum omnibus iuribus, privilegiis, honoribus, praerogativis et indultis, quae praeter mutua pacta conventa canonumque 362-367 ad normam Codicis Iuris Canonici, huiusmodi Legationum propria sunt.

Has denique Litteras, in forma Brevis maioris expeditas, nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die IX mensis Decembris, anno MMXVI, Pontificatus Nostri quarto.

De mandato Summi Pontificis
PETRUS card. PAROLIN
Secretarius Status

Leonardus Sapienza, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 366.547

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Dei Servis Iosephae Martínez Pérez et XI Sociis e Congregatione Filiarum a Caritate necnon Dolores Broseta Bonet laicae Beatorum Martyrum honores decernuntur.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Quis nos separabit a caritate Christi? Tribulatio an angustia an persecutio an fames an nuditas an periculum an gladius? ... Sed in his omnibus supervincimus per eum, qui dilexit nos» (*Rom* 8, 35 et 37).

Mysterium amoris et doloris, quod Paulus Apostolus describit, impletum est iterum per passiones quas, fide repletae, Serva Dei Iosepha Martínez Pérez et Sociae eius subierunt, quae, in vitae plenitudine, propter suam fidem et caritati deditionem atrociter sunt interfectae.

Filiae Caritatis Sancti Vincentii de Paul in urbe Valentia visibilem vultum caritatis Ecclesiae ostendebant, pauperes et infirmos curantes, educationi et valetudinis curationi necnon operibus pro societatis bono intentae, tam in publico quam in privato ambitu. Anno MCMXXXVI communitates Filiarum a Caritate XII numerabantur in urbe Valentina atque XXIII in locis vicinis, quae simul sumptae sex et quingentae numerabantur. In oppido vulgo *Segorbe,* Castilione, fuit communitas IX sororum quae in valetudinario municipali, scholis, hospitio, nido infantium, mensa publica vestiarioque publico servitium praestabant. Quandoquidem illae fidei et caritatis erant testes, e valetudinariis, collegiis, asylis et e domibus beneficentiae sunt expulsae. His communitatibus suppressis, sorores ubique dispersae sunt: aliae se contulerunt ad familias suas, carceribus innumerisque periculis sese committentes, aliae in domos vel in securitatis hospitia confugerunt. Plus quam autem CC sorores comprehensae sunt, quarum nonnullae in carcerem oppidi *Alacuás* sunt adductae, in quo coactis laboribus sunt subiectae. Aliae vero morti occubuerunt post liberationem e carcere.

Inter peirsecutiones adversus religionem anno MCMXXXVI, XII Filiae a Caritate Sancti Vincentii de Paul necnon iuvenis laica quae sorores adiuvabat apud collegium in *Bétera,* Valentinae, mortem martyrii acriter subierunt a mense Augusto ad mensem Decembrem anni MCMXXXVI. Inique comprehensae turpiter sunt infectae.

Nunc sequuntur earum nomina atque nativitatis et martyrii loca:

1. Iosepha Martínez Pérez, H.C., nata in *Alberique,* Valentiae, die V mensis Augusti anno MDCCCXCVIII, martyr in *Llosa de Ranes,* Valentiae, die XV mensis Octobris anno MCMXXXVI.

2. Martina Vázquez Gordo, H.C., nata in *Cuéllar,* Segoviae, die XXX mensis Ianuarii anno MDCCCLXV, martyr in *Algar de Palancia,* Valentiae, die IV mensis Octobris anno MCMXXXVI.

3. Iosepha Laborra Goyeneche, H.C., nata in *Sangüesa,* Navarrae, die VI mensis Februarii anno MDCCCLXIV; martyr in *Picadero de Paterna,* Valentiae, die IX mensis Decembris anno MCMXXXVI.

4. Carmen Rodríguez Barazal, H.C., nata in *Cea,* Auriae, die XXVI mensis Martii anno MDCCCLXXVI; martyr in *Picadero de Paterna,* Valentiae, die IX mensis Decembris anno MCMXXXVI.

5. Maria del Pilar Nalda Franco, H.C., nata in *Algodonales,* Gadibus, die XXIV mensis Maii anno MDCCCLXXI; martyr in *Picadero de Paterna,* Valentiae, die IX mensis Decembris anno MCMXXXVI.

6. Stephania Irisarri Irigaray, H.C., nata in *Peralta* Navarrae, die XXVI mensis Decembris anno MDCCCLXXVIII; martyr in *Picadero de Paterna,* Valentiae, die IX mensis Decembris anno MCMXXXVI.

7. Isidora Izquierdo García, H.C., nata in *Páramo del Arroyo,* Burgi, die II mensis Ianuarii anno MDCCCLXXXV; martyr in *Picadero de Paterna,* Valentiae, die IX mensis Decembris anno MCMXXXVI.

8. Ioachima Rey Aguirre, H.C., nata in *Begoña,* Flaviobrigae, die XXIII mensis Decembris anno MDCCCXCV; martyr in *Gilet,* Valentiae, die XXIX mensis Octobris anno MCMXXXVI.

9. Victoria Arregui Guinea, H.C., nata Flaviobrigae, die XIX mensis Decembris anno MDCCCXCIV; martyr in *Gilet,* Valentiae, die XXIX mensis Octobris anno MCMXXXVI.

10. Maria Rosaria Ciéroles y Gascón, H.C., nata Caesaraugustae die V mensis Octobris anno MDCCCLXXIII; martyr in *Benavites,* Valentiae, die XVIII mensis Augusti anno MCMXXXVI.

11. Michaëla Hernán Martínez, H.C., nata Burgi, die VI mensis Maii anno MDCCCLXXXI; martyr in *Benavites,* Valentiae, die XVIII mensis Augusti anno MCMXXXVI.

12. Maria Aloisia Bermúdez Ruiz, H.C., nata in *San Sordo-Sabugueira,* in Brigantino portu, die X mensis Octobris anno MDCCCXCIII; martyr in *Benavites,* Valentiae, die XVIII mensis Augusti anno MCMXXXVI.

13. Dolores Broseta Bonet, laica, nata in *Bétera,* Valentiae, die I mensis Ianuarii anno MDCCCXCII; martyr in *Picadero de Paterna,* Valentiae, die IX mensis Decembris MCMXXXVI.

Quarum martyrum fama apud Dei populum est diffusa sed in dies increvit. Anno MCMXLI incohata est collectio testimoniorum ac documentorum super earum martyrio, ita ut causa beatificationis in Archidioecesi Valentina initiaretur anno MCMLX. Die VII mensis Iunii anno MMIX habita est Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum. Praedecessor Noster Benedictus XVI die XXVII mensis Iunii anno MMXI iussit ut Congregatio de Causis Sanctorum decretum super martyrio conscriberet et insuper statuit ut beatificationis ritus in Hispania die XIII mensis Octobris anno MMXIII celebraretur. Nos Ipsi designavimus urbem Tarraconensem tamquam celebrationis sedem.

Hodie igitur, Tarracone in Hispania, de mandato Nostro, Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Dei Servas Iosepham Martínez Pérez et XI Socias e Congregatione Filiarum a Caritate necnon Dolores Broseta Bonet in Beatorum numerum adscribimus:

Nos vota Fratrum Nostrorum Iesu García Burillo, Episcopi Abulensis, Alfonsi Milián Sorribas, Episcopi Barbastrensis-Montisonensis, Aloisii S.R.E. Cardinalis Martínez Sistach, Archiepiscopi Barcinonensis, Marii Iceta Gavicagogeascoa, Episcopi Flaviobrigensis, Iosephi Emmanuelis Lorca Planes, Episcopi Carthaginensis in Hispania, Antonii Angeli Algora Hernando, Episcopi Civitatis Regalensis, Demetrii Fernández González, Episcopi Cordubensis, Iosephi Mariae Yanguas Sanz, Episcopi Conchensis, Raimundi del Hoyo López, Episcopi Giennensis, Ioannis Piris Frígola, Epis-

copi Illerdensis, Antonii Mariae S.R.E. Cardinalis Rouco Varela, Archiepiscopi Matritensis, Iesu Stephani Catalá Ibáñez, Episcopi Malacitani, Salvatoris Giménez Valls, Episcopi Minoricensis, Attilani Rodríguez Martínez, Episcopi Seguntini-Guadalaiarensis, Iacobi Pujol Balcells, Archiepiscopi Tarraconensis, Iosephi Angeli Saiz Meneses, Episcopi Terrassensis, Caroli Emmanuelis Escribano Subías, Episcopi Terulensis et Albarracinensis, Braulionis Rodríguez Plaza, Archiepiscopi Toletani, Henrici Benavent Vidal, Episcopi Dertosensis, Caroli Osoro Sierra, Archiepiscopi Valentini, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque Christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Servi Dei:

– Iosephus Maximus Moro Briz et IV Socii, presbyteri dioecesani;

– Maurus Palazuelos Maruri et XVII Socii, ex Ordine Sancti Benedicti; Iacobus Puig Mirosa et XVIII Socii, e Congregatione Filiorum Sacrae Familiae Iesu, Mariae et Ioseph, necnon Sebastianus Llorens Telarroja, laicus;

– Maria a Monte Serrato (in saeculo: Iosepha Maria Columnaris García Solanas) et VIII Sociae, religiosae professae Instituti Minimarum Discalceatarum Sancti Francisci de Paula, necnon Lucretia García Solanas, laica et vidua;

– Mauritius (in saeculo: Alexander) Íñiguez de Heredia Alzóla et XXIII Socii, religiosi professi ex Ordine Hospitalario Sancti Ioannis de Deo;

– Iosephus Guardiel Pujol, presbyter dioecesanus;

– Raimundus Ioachimus Castaño González et Iosephus Maria González Solís, presbyteri professi ex Ordine Fratrum Praedicatorum;

– Antonius Faúndez López, presbyter, et unus Socius, professi ex Ordine Fratrum Minorum, necnon duo presbyteri dioecesani;

– Hermenegildus ab Assumptione B.M.V. (in saeculo: Hermenegildus Iza y Aregita) et V Socii, ex Ordine Sanctissimae Trinitatis;

– Carmelus Maria Moyano Linares et IX Socii, presbyteri professi ex Ordine Carmelitarum;

– Iosephus Xavier Gorosterratzu et V Socii, e Congregatione Sanctissimi Redemptoris;

– Emmanuel Basulto Jiménez, Episcopus Giennensis, necnon III presbyteri dioecesani, unus seminarii alumnus et unus laicus;

– Victoria a Iesu (in saeculo: Francisca Agnes Maria ab Antiqua) Valverde González, religiosa Pii Instituti Calasanctiani Filiarum a Divina Pastora;

– Salvius Huix Miralpeix, Episcopus Illerdensis;

– Iosephus Nadal i Guiu et Iosephus Jordán Blecua, presbyteri dioecesani;

– Ioannes a Iesu (in saeculo: Vilaregut Farré) et III Socii, ex Ordine Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, necnon Paulus Segalá Solé, presbyter dioecesanus;

– Marianus Alcalá Pérez et XVIII Socii, ex Ordine Beatae Mariae Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum;

– Chrysanthus (in saeculo: Casimirus González García), Aquilinus, Cyprianus Iosephus et LXIII Socii, ex Instituto Fratrum Maristarum a Scholis, necnon Raimundus Aemilianus Hortelano Gómez et Iulianus Aguilar Martín, laici;

– Emmanuel a Sacra Familia (in saeculo: Emmanuel Sanz Domínguez), presbyter professus et reformator Ordinis Sancti Hieronymi;

– Andreas a Palazuelo (in saeculo: Michael Franciscus González González) et XXXI Socii, ex Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum;

– Theophilus Fernández de Legaría Goñi et IV Socii, presbyteri professi e Congregatione Sacrorum Cordium Iesu et Mariae necnon adorationis perpetuae Ss. Sacramenti altaris;

– Albertus Maria Marco Alemán et VIII Socii, ex Ordine Carmelitarum ab Antiqua Observantia, necnon Augustinus Maria García Tribaldos et XV Socii, ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum;

– Orentius Aloisius (in saeculo: Antonius Sola Garriga) et XVIII Socii, ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum, necnon Antonius Mateo Salamero, presbyter dioecesanus, et Iosephus Gorostazu Labayen, laicus;

– Melchiora ab Adoratione Cortés Bueno et XIV Sociae, e Societate Filiarum a Caritate Sancti Vincentii de Paul;

– Aurelia (in saeculo: Clementina) Arambarri Fuente et III Sociae, religiosae professae Congregationis Servarum Mariae Ministrantium Infirmis;

– Maria Assumpta (in saeculo: Iuliana González Trujillano) et II Sociae, religiosae professae Congregationis Missionariarum Franciscalium a Matre Divini Pastoris;

– Ioannes Huguet Cardona, presbyter dioecesanus;

– Iosephus Maria Ruiz Cano, Iesus Hannibal Gómez Gómez, Thomas Cordero Cordero et XIII Socii, e Congregatione Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B.M.V.;

– Emmanuel Borrás i Ferré, Episcopus Auxiliaris Tarraconensis, Agapitus Modestus (in saeculo: Modestus Pamplona Falguera), ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum, et CXLV Socii, presbyteri et Seminarii alumni dioecesani, necnon religiosi ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum, ex Ordine Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, ex Ordine Sancti Benedicti, ex Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum, e Congregatione Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B.M.V., e Tertio Ordine Carmelitarum a Magisterio;

– Fortunatus Velasco Tobar et XIII Socii, e Congregatione Missionis;

– Ioachimus Jovaní Marín et XIV Socii, e Sodalitate Sacerdotum Operariorum Dioecesanorum Cordis Iesu;

– Richardus Gil Barcelón, presbyter professus e Congregatione Parvi Operis a Divina Providentia, necnon Antonius Arrué Peiró, laicus;

– Iosepha Martínez Pérez et XI Sociae, e Congregatione Filiarum a Caritate, necnon Dolores Broseta Bonet, laica;

qui in Hispania vicesimo saeculo sanguinem suum effuderunt ad testimonium perhibendum Domino Iesu, Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die sexta Novembris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quae vero per has Litteras statuimus, ea firma esse volumus in perpetuum, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIII mensis Octobris, anno Domini bis millesimo tertio decimo, Pontificatus Nostri primo.

De mandato Summi Pontificis
loco Secretarii Status

✠ PETRUS PAROLIN
Archiepiscopus tit. Aquipendiensis

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 20.928

II

Venerabili Servae Dei Mariae Teresiae Casini Beatorum honores decernuntur.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum» (*Rm* 12, 1).

Venerabilis Serva Dei Maria Teresia Casini ex ferventi contemplatione transverberati Cordis Christi caritatis et oblationis verum hausit spiritum, qui iter sanctitatis eius signavit. Assidua oratione ac mysterii eucharistici adoratione sese tamquam hostiam sacrosancto altaris Sacrificio pro bono Ecclesiae eiusque, qui presbyteri sunt, ministrorum adiunxit.

Die xxvil mensis Octobris anno MDCCCLXIV Tusculi in Italia nata est. Puella vix decem annorum dilectissimo patre orbata, Cryptam Ferratam cum matre demigravit. Primae Communionis occasione, desiderio sese Deo consecrandi exarsit. Providus ei fuit congressus cum Reverendo Patre Arsenio Pellegrini, monasterii ritus byzantini Sanctae Mariae Cryptensis abbate, qui eam in spiritualibus moderatus est ac per itinerarium eius in Deum benignitatis profectu suffulsit. Divinae voluntati hac via oboediit, quae ab ea petebat, ut infidelitatem et ingratitudinem presbyterorum eorum expiaret, qui vocationem suam plane non adimplent. In plenae oblationis gaudio, quae ei Cor Christi consolari sinebat, die I mensis Februarii anno MDCCCLXXXV monasterium Clarissarum a Sanctissima Conceptione in Urbe ingressa est, unde tamen biduo post, infirmae valetudinis causa, domum ei fuit revertendum. Moderatori spirituali iugiter fidelis, opus quoddam tunc incipiens ingressa est, quod Verarum Amantium Sacratissimi Cordis Iesu nuncupabatur, e quo denuo ob praematuram fundatricis mortem ad familiam eam oportuit redire. Quomodo itaque respondere posset ad vocationem Domini ac seipsam pro sanctificatione sacerdotum offerre recogitare coepit. Proinde, Cryptam Ferratam secessit intra moenia parvi habitaculi orationi omnino dedita. Iuvenes quaedam circa eam propediem convenerunt puellae eiusdem consilium vitae communicare cupientes. Exinde, Episcopo Tusculano Cardinale Seraphino Vannutelli fovente, maiorem aedem et cappellam exstruendas curavit, in qua sancta Eucharistia celebrari posset. Sorores vitae vacaverunt

contemplationis coram Iesu in sacramento pro sanctitate sacerdotum reparationis gratia suffultae. Hunc in spiritum oblationis demersa fundatrix sodales adhortabatur dicens: «Hostiae sumus viventes, quarum immolatio cotidie renovatur». Ineunte anno MCM, auspice novo Episcopo Tusculano Cardinale Francisco Satolli, opus suum pastoralibus navitatibus sacerdotum populique aperire statuit. Prima sic nata est, quae dici potest, officina pro iuvenibus puellis instituendis earundemque humana dignitate in societate provehenda, Opus scilicet Parvorum Amicorum Iesu, una cum Collegiis atque scholis, quae vividae factae sunt fomites vocationum. Venerabilis Serva Dei usque ad mortem vitam suam omnes in navitates impendit, quas cor eius pro bono sacerdotum, attentis necessitatibus temporum, suscitavit. Morbo laborans, conformitatem suam Christo crucifixo lecto dolenter adstricta perfecit. Caritatis spiritu speique virtute inflammato corde, ad lumen fidei iugiter incessit et communitati suae virtutum heroum modo exercitarum perhibuit testimonium. Filiarum suarum amore ac veneratione circumfusa, mane diei III mensis Aprilis anno MCMXXXVII in domo fundationis Cryptae Ferratae pie in Domino quievit.

Multiplicata sanctitatis fama Episcopum Tusculanum adduxit, ut Causam Beatificationis et Canonizationis iniret per celebrationem Processuum iure decretorum. Servatis iure statutis, Summus Pontifex sanctus Ioannes Paulus II die VII mensis Iulii anno MCMXCVII eam virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum coluisse decrevit. Demum, Beatificationis respectu, asserta mira sanatio subiecta est, quam Medicorum Collegium Congregationis de Causis Sanctorum in Sessione diei XXII mensis Maii anno MMXIV inexplicabilem secundum hodiernam scientiam medicam declaravit et Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum die XX mensis Novembris eodem anno intercessioni Venerabilis Servae Dei tribuit. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die XX mensis Ianuarii anno MMXV habita agnoverunt hanc sanationem verum miraculum divinitus patratum fuisse et Nosmet Ipsi concessimus, ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum super miraculo promulgaret, mandantes, proinde, ut ritus beatificationis sabbato XXXI mensis Octobris anno MMXV Tusculi perageretur.

Hodie igitur eadem in urbe de Nostro mandato Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, S.D.B., Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Venerabilem Servam Dei Mariam Teresiam Casini in Beatorum numerum adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Raphaelis Martinelli, Episcopi Tusculani, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus, ut Venerabilis Serva Dei Maria Teresia Casini, fundatrix Congregationis Sororum Oblatarum Sacratissimi Cordis Iesu, quae vitam sanctificandis devovit sacerdotibus, precibus et operibus eorum prosequens ministerium, Beatae nomine in posterum appelletur eiusque festum die undetricesima mensis Octobris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXXI mensis Octobris, anno Domini bismillesimo decimo quinto, Pontificatus Nostri tertio.

De mandato Summi Pontificis
PETRUS card. PAROLIN
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 65.938

NUNTII

I

Occasione summi gradus Conventus G20 Hamburgi.

Ihrer Exzellenz Frau
Dr. Angela Merkel
Bundeskanzlerin der Bundesrepublik Deutschland

Im Anschluss an unsere kürzlich stattgefundene Begegnung im Vatikan und als Antwort auf Ihre freundliche Anfrage möchte ich Ihnen einige Überlegungen übermitteln, die ich, gemeinsam mit allen Hirten der katholischen Kirche, für wichtig erachte im Hinblick auf das nächste Treffen der Staats- und Regierungschefs der Gruppe der führenden Wirtschaftsnationen in der Welt und der höchsten Autoritäten der Europäischen Union (G20). Ich folge so auch einer Tradition, die von Papst Benedikt XVI. im April 2009 anlässlich des G20-Gipfeltreffens in London begonnen wurde. Mein Vorgänger schrieb auch Eurer Exzellenz im Jahr 2006, als Deutschland die Präsidentschaft der Europäischen Union und der G8 innehatte.

Zunächst möchte ich Ihnen und den in Hamburg zusammengekommenen Verantwortungsträgern meine Wertschätzung zum Ausdruck bringen für die umgesetzten Bemühungen zur Gewährleistung der Regierungsführung und der Stabilität der Weltwirtschaft unter besonderer Berücksichtigung der Finanzmärkte, des Handels, der steuerlichen Probleme und allgemeiner eines Weltwirtschaftswachstums, das inklusiv und nachhaltig ist (vgl. Kommuniqué des G20-Treffens in Hangzhou, 5. September 2016). Wie aus dem Arbeitsprogramm des Gipfels ersichtlich wird, sind diese Bemühungen untrennbar mit der Aufmerksamkeit verbunden, die den gegenwärtigen Konflikten und dem weltweiten Migrationsproblem gewidmet wird.

Im Apostolischen Schreiben *Evangelii gaudium*, der Programmschrift meines Pontifikats an die katholischen Gläubigen, habe ich vier Handlungsprinzipien für den Aufbau brüderlicher, gerechter und friedlicher Gesellschaften vorgeschlagen: *die Zeit ist mehr wert als der Raum; die Einheit wiegt mehr als der Konflikt; die Wirklichkeit ist wichtiger als die Idee* und *das Ganze ist dem Teil übergeordnet.* Diese Handlungslinien gehören freilich der jahrhundertealten Weisheit der ganzen Menschheit an, und deshalb

glaube ich, dass sie auch als Beitrag zu den Überlegungen für das Treffen in Hamburg und ebenso zur Bewertung seiner Ergebnisse nützlich sein können.

Cuius pater illis in circumstantiis Carmelitarum Discalceatarum oppiduli *Serra*, non longe a Valentia, Monasterii Priorissae occurrit et ab eadem est invitatus ut a Domino per intercessionem Beati Ludovici Martin ac Beatae Mariae Azeliae Guérin parvae infirmae sanationem, una cum monialibus, peterent. Infantulae parentes alios quoque familiares, moniales necnon aliquos fideles sollicitarunt ut hanc secundum intentionem sacrum novendiale agerent. Perbrevi parvae infirmae condiciones meliores factae sunt, quas infectionum exstinctio, spirandi motus recuperatio absolutaque functionum restitutio sunt secutae, ita ut ipsa de nosocomio die 2 mensis Ianuarii anno 2009 dimitteretur. Ex inspectionibus medicis subsequentibus nullum praevisarum inevitabilium que gravis hemorragiae cerebralis consequentiarum signum eam manifestavisse deductum.

Qua de sanatione, pro miro adserta, a die 7 mensis Ianuarii ad diem 21 mensis Maii anno 2013 apud Curiam ecclesiasticam Valentinam instructa est Inquisitio dioecesana, cuius validitas iuridica Decreto die 4 mensis Aprilis anno 2014 ab hac Congregatione est adprobata. Dicasterii Medicorum Collegium, in sessione die 30 mensis Octobris anno 2014 habita, sanationem subitam, perfectam, stabilem ac propter exitus omnino absentes inexplicabilem secundum hodiernam scientiam medicam fuisse agnovit. Die 16 mensis Decembris anno 2014 Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum est factus. Die 17 mensis Martii anno 2015 Sessio Patrum Cardinalium et Episcoporum, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Amato praefui, est celebrata. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Beati Ludovici Martin, Christifidelis Laici et Patrisfamilias, et Beatae Mariae Azeliae Guérin, Christifidelis Laicae et Matrisfamilias, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione cuiusdam puellae a «grave emorragia cerebrale di IV grado».*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 18 mensis Martii a.D. 2015.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

CRACOVIENSIS

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Ladislai Bukowiński Sacerdotis Dioecesani (1904-1974)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Servus Dei Ladislaus Bukowiński natus est die 22 mensis Decembris anno 1904 in pago v.d. *Berdyczów*, qui olim Polonis in liminibus erat, hodie autem Ucrainis. Vocationem sacerdotalem libere secutus, die 28 mensis Iunii anno 1931 presbyteratu auctus est. Multis pastoralibus muneribus functus est et secundo bello mundiali exarso post sovieticam finium Polonorum invasionem, parochus ecclesiae cathedralis Luceoriensis nominatus est, tamen post paucos menses a bolscevichis deprehensus et captivitate octo annorum damnatus est. Ob rapidam Germanicorum militum provectionem sovietici captivos armis supprimere inceperunt. Una cum aliis captivis Servus Dei fucilatione moriturus erat, cum glans plumbea falleret eum vitans. Insecuta sunt adiuncta temporis valde complexa in vita eius Nationis, in quibus Servus Dei actuosissimus in pastorali et assistentiali opera maxime evadit erga iudeos et victimas, quae illis in locis persecutione ob genus et discrimina passae erant. Mense Ianuario anno 1945 ad opus decem annorum in pago *Czelabinsk* et iuxta metalla loci *Zezkazgan* in Cazastania damnatus est; cum autem anno 1954 auctoritates eum remitterent, stabiliter residere in Cazastania voluit et post ulteriorem in carcere detrusionem ministerium suum iuxta homines illic praesentes et originarios multis e nationibus exercuit. Post innumeros labores et postuma dirae captivitatis signa die 3 mensis Decembris anno 1974 Caragandae mortuus est. Die 22 mensis Ianuarii anno 2015 Summus Pontifex Franciscus heroicas virtutes eius agnovit.

Beatificationis respectu, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum miram quandam sacerdotis in Dioecesi Caragandensi in Cazastania sanationem subiecit, qui die 11 mensis Iunii anno 2011 cum pila luderet una cum seminarü alumnis statim sensus perdidit et inter convulsiones in terram cecidit. In valetudinario gravissima diagnosis quoad vitam edita est, in coma condicio enim omnino evasit. Sequenti die etiam febris acuta et artuum inferiorum convulsiones accesserunt. Medici de redintegratione penitus desperaverunt.

Iam primum quidam fideles, sacerdotes, sorores et seminarii alumni chorali oratione intercessionem Venerabilis Servi Dei, cuius cultus in Cazastania valde diffusus erat, ut aegrotus sanaretur, invocaverunt. Etiam Episcopus Auxiliaris Sanctae Mariae in Astana aegrotum visitavit eumque Venerabilis Servi Dei reliquiis benedixit. Postmeridiano tempore eiusdem diei statim condicio in melius mutavit. Aegrotus rursus stimulis respondere incepit, febris defecit et cordis palpitatio ad normalem condicionem reducebatur, ad vesperem aegrotus fuit conscius et reactivus. Sequentibus in diebus aegroti valetudo amplius confirmabatur. Neurologicae physiologicaeque functiones secundum naturalem ordinem sine noxis redintegratae sunt, die 1 mensis Iulii aegrotus e valetudinario demissus est.

Evidens est concursus temporis et consequentia inter Venerabilis Servi Dei invocationem et sacerdotis sanationem, qui deinceps, naturali socialique vita pollens, sanus fuit.

De hac sanatione mira aestimata iuxta Curiam ecclesiasticam Caragandensem e die 22 ad diem 31 mensis Maii anno 2013 Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 22 mensis Novembris anno 2013 est approbata. Medicorum Consilium Dicasterii in Sessione diei 30 mensis Aprilis anno 2015 declaravit sanationem celerem, perfectam, constantem et ex scientiae legibus inexplicabilem fuisse. Die 10 mensis Septembris anno 2015 Congressus actus est Peculiaris Theologorum Consultorum, positivo cum exitu. Die 1 mensis Decembris anno 2015 Patres Cardinales et Episcopi se congregaverunt, me Cardinale Angelo Amato praesidente.

Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Servi Dei Ladislai Bukowiński, Sacerdotis Dioecesani, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione cuiusdam presbyteri ab «emorragia sub aracnoidea. Sindrome convulsiva».*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 14 mensis Decembris a.D. 2015.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

MONTIS REGALIS

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Mariae a Iesu (in saeculo: Carolinae Santocanale) Fundatricis Congregationis Sororum Capuccinarum ab Immaculata Lapurdensi (1852-1923)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Maria a Iesu (in saeculo: Carolina Santocanale) Panormi die 2 mensis Octobris anno 1852 nata est. Christiana in familia instituta, vicesimum fere annum aetatis agens signa vocationis religiosam ad vitam percepit et vivere suum absolutum propositum consecrationis et servitii incepit suumque accessum ad Eucharistiam valde crebriorem reddidit. Summi momenti et fere discriminans fuit cum Beato Iacobo Cusmano aditus, cuius opera caritativa, quae dicitur *Buccea pauperis* seu vulgo *Boccone del povero*, illis in annis Panormi et fere tota Sicilia large diffundebatur. Carolina franciscano regimine alliciebatur et toto animo ad Pauperculi Assisiensis spiritualitatem sequendam se dedit, vitam singulari austeritate degens. Aliae iuvenes mulieres una cum ea, quae nomen Mariae a Iesu interdum acceperat, convenerunt et illa secundum suum propositum «fieri voluit educatrix, soror caritatis, mater pauperum», prompta ad quodviscumque servitium explendum etiam humillimum. Die 8 mensis Decembris anno 1909 parva familia religiosa Cinisii, in provincia Panormitana, quae postea fiet Congregatio Sororum Capuccinarum ab Immaculata Lapurdensi, se adgregavit Ordini Fratrum Minorum Capuccinorum. Serva Dei die 27 mensis Ianuarii 1923 Cinisii mortali e vita migravit. Summus Pontifex Ioannes Paulus II anno 2000 virtutes heroicas eius agnovit.

Beatificationis respectu, Causae Postulatio huius Congregationis de Causis Sanctorum iudicio mirum quoddam in viro prodigium subiecit. Res autem, quod vero, respiciens ad gravem lapsum cuiusdam operarii, in Sicilia die 19 mensis Septembris anno 2003 evenit. Vir manualis societatis artis aedificatoriae operarius cum operam ad aedificandum sacellum dabat, in quo asservandae erant exuviae Venerabilis Servae Dei, deperdito aequilibrio ob tabulae defectionem, ab altitudine fere undecim metrorum praecipitavit, decidens in crepidinem caemento munitam, crusta marmoris operiendam. Statim vir consurrexit et comprehendit se nullum detrimentum consecutum esse nec dolorem nec impedimenta suis in motibus sensit. Solum indicium terribilis accidentis, dolor sinistro in pulsu fuit, simplicis fracturae causa.

In lapsu et statim ante contactum corporis cum solo, operarius quidam, viri collega, cum periculum animadverteret, sponte ad Venerabilem mentem suam intendit ad intercessionem impetrandam, ut collega incolumis ab illo terribili et gravissimo accidente exiret. Profecto enim vir incolumis surrexit et ad propinquum valetudinarium deductus est ibique compertum est virum omnino sanum esse. Accidens graves praevisas consequentias non produxit nec psychicae inspiciebantur difficultates.

De hoc prodigio miro aestimato iuxta Curiam ecclesiasticam Montis Regalis a die 17 mensis Iunii ad diem 4 mensis Decembris anno 2013 Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 21 mensis Martii anno 2014 est approbata. Medicorum Dicasterii Consilium in Sessione diei 29 mensis Ianuarii anno 2015 declaravit prodigium ex scientiae legibus inexplicabile esse. Die 21 mensis Aprilis anno 2015 Peculiaris Theologorum Consultorum Congressus actus est, positivo cum exitu. Die 27 mensis Octobris anno 2015 Patres Cardinales et Episcopi se congregaverunt, me Cardinale Angelo Amato praesidente.

Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Servae Dei Mariae a Iesu (in saeculo: Carolinae Santocanale), Fundatricis Congregationis Sororum Capuccinarum ab Immaculata Lapurdensi, videlicet de* «assenza di conseguenze mortali e di gravi lesioni viscerali e scheletriche a seguito di caduta da un'altezza di 11 metri, con impatto al suolo cementato».

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 14 mensis Decembris a.D. 2015.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

SANCTI SALVATORIS IN AMERICA

Beatificationis seu Declarationis Martyrii Servi Dei Ansgarii Arnolfi Romero Galdámez Archiepiscopi Sancti Salvatoris in America († 1980)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

«Ei, qui diligit nos et solvit nos a peccatis nostris in sanguine suo et fecit nos regnum, sacerdotes Deo et Patri suo, ipsi gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen» (*Ap* 1, 5-6).

Servus Dei Ansgarius Arnolfus Romero Galdámez, ut qui toto pectore adhaesisset proposito voluntatique de Christi regno, suum Agni sanguini sanguinem sociavit, ut semet ipsum in donum pro populi salute totum traderet.

Servus Dei die 15 mensis Augusti anno 1917, in oppido v.d. *Ciudad Barrios*, in Republica Salvatoris, humili genere natus est. Secundus ex fratribus septem, cum christiana esset imbutus pietate, iam adulescens desiderium et animum pandit, ut sacerdos fieret.

Quem in finem Seminarii Sancti Michaelis alumnus factus animi virtutibus mentisque acie pariter eminuit. Superiores igitur, quos animus adulescentis in studia vehementer proclivis non fefellerat, Romam eum miserunt, qui litteris doctrinaque in Pontificia Universitate Gregoriana institueretur. Ibi vero sacrae Theologiae licentia modo donatus, primi tantum anni praelectiones audire potuit curriculi ad doctoris gradum assequendum; diris enim factis alterius belli mundialis in patriam redire coactus est, eum interea die 4 mensis Aprilis anno 1942 sacerdos in Urbe consecratus esset.

Parochi autem ministerium exercuit perinde in agris atque in oppido Sancti Michaelis, licet per annos non ita multos. Mox vero a Secretis fuit Episcopi prius, dein Salvatorianae Episcoporum Conferentiae itemque moderator exstitit spiritualis in nonnullis consociationibus motibusque ecclesialibus. Nec tamen tot tam gravibusque distentus erga proximos officiis orationem umquam neglexit, cum ex imo pectore Dominum amantissimo studio, Beatam Mariam Virginem ardentissima prosequeretur devotione. Eius enim vitae totius quasi solum et fundamentum exstitit fides altissima, quae velut anima genuina fuit actuositatis apostolicae illius.

Cum autem die 25 mensis Aprilis anno 1970 nominatus esset Episcopus auxiliaris civitatis Sancti Salvatoris, mox die 21 mensis Iunii eiusdem anni

consecratus est. Quadriennio post nominatus est Episcopus Sancti Iacobi de Maria, quod territorium inter pauperrimas illius Civitatis regiones numeratur. Ibi, cum vitam experiretur plebis maxima oppressae penuria et fera militum repressione male mulcatae in eum finem, ut exquisitius exspoliaretur a divitibus latifundia per illas partes possidentibus, maxime conscius sibi factus est, quo modo res se haberent. Die 3 mensis Februarii anno 1977 allatus est nuntius eum ad gradum Archiepiscopi Sancti Salvatoris evectum esse. Servus igitur Dei in habitaculum sibi elegit angustum quoddam cubiculum situm in sacristia sacelli in valetudinario, ubi degebant aegroti cancerosi in vitae confinio versantes. Res interea politicae et oeconomicae in dies peiores fiebant, cum praesertim increbrescerent negotia violenta, quibus sacerdotes quoque et religiosi et viri laici pariter afficiebantur: quorum in numero fuit Pater Rutilius Grande, Societatis Iesu sacerdos atque Episcopi amicus et cooperator, qui cum catechumenis duobus necatus est vix mense postquam in dioecesim Servus Dei ingressus erat.

Illis in adiunctis Ecclesia Salvatoriana pretium sanguinis ingentissimum fudit. Exercitus enim a factione dominante incitatus non dubitavit tum ecclesias violare et occupare tum excidia perpetrare nefanda. Servus Dei voce altissima tonuit nomine iustitiae, fretus doctrina sociali Ecclesiae, eius autem verba, per radiophoniam dioecesanam diffusa, apud exteras quoque gentes manifestarunt abiectionem iam intolerabilem in quam inciderat Respublica Sancti Salvatoris, bello intestino vastata.

Cogitata theologica, quibus Servus Dei ducebatur, nulla ratione politica germinabantur, cum potius sibi ille proponeret salutem hominis societatisque integram. Iniurias a latifundia possidentibus militibusque perpetratas cum propalam enuntiaret, numquam non plene inconstanterque amplexus est doctrinam et usum Ecclesiae, quippe qui res aedificandas censeret animo miti, omni violentia remota et detrectata. Quam ob rem, die 2 mensis Februarii anno 1980 in Athenaeo Belgico Lovaniensi, doctor honoris causa renuntiatus est propter operam indefesse navatam egenos defendendi gratia. Eodem praeterea anno Servus Dei magistros militum et viros armatos vocavit ad mutuam societatis hominum conciliationem: «Supplex» – inquit – «vos oro, precor, iubeo nomine Dei: "Cesset iam repressio!"».

Vir spe praeditus inconcussa numquam oblitus est ad quo eius pertineret vocatio et omni vitae tempore laetus serenusque degit vel in ipsis

aerumnis et calamitatibus, quae graviores etiam factae sunt circa extrema quidem vitae illius tempora, cum in natione eius iam terroris plena haud rari homines poenam capitis tulissent indicta causa, in odium fidei tantum. Propterea Servus Dei capitis damnatus est, quod christianus fuit idemque Episcopus. Id ceterum probe norat, sed, licet posset vitam conservare, ad pacta descendere firmissime detrectavit. Magnanimus ille fortisque vir, divinae sese voluntati totum committens, viris violentia ac temeritate excaecatis sua virtute responsum dedit.

Archiepiscopus enim die 24 mensis Martii anno 1980, cum divinam immolaret victimam in sacello valetudinarii, dum ad offertorii ritum se accingit, vulneratus est a quodam sicario, qui e vehiculo ante ostium collocato globulum emisit displosivum, qui citissimo cursu, Servi Dei humi procumbentis pectore transfosso, sanguinis fluxum suscitavit internum, quem repente mors secuta est.

Paucis post diebus exsequiae celebratae sunt magno populi concursu testimonium perhibentis de sanctitatis et martyrii fama, quae non ipso excidio illis diebus patrato a militibus contra fideles congregatos obrui vel extingui potuit. Ioannes Paulus II, Summus Pontifex, die 6 mensis Martii anno 1983, Servo Dei, cuius sepulcrum in ecclesia Cathedrali Sancti Salvatoris situm tunc visebat, obsequium praestitit.

Martyrii fama Servi Dei communitatem ecclesialem pervasit. Itaque diebus a 29 mensis Martii anno 1994 ad 1 mensis Novembris anno 1995, apud Curiam ecclesiasticam Sancti Salvatoris peracta est Inquisitio dioecesana, cuius validitatem iuridicam confirmavit haec Congregatio per Decretum diei 4 mensis Iulii anno 1997 datum. *Positione* confecta, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum die 8 mensis Ianuarii anno 2015 convocatus prospero cum exitu perpendit. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria congregati die 3 mensis Februarii anno 2009, me Card. Angelo Amato praesidente, confirmarunt Servum Dei interfectum esse propter fidem Christo et Ecclesiae strenue servatam.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinale Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Franciscus, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servi Dei Ansgarii Arnolfi Romero Galdámez, Archiepiscopi Sancti Salvatoris in America, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 3 mensis Februarii a. D. 2015.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

BASILEENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Nicolai Wolf Christifidelis Laici et Patrisfamilias (1756-1832)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Propter Sion non tacebo et propter Ierusalem non quiescam » (*Is* 62, 1).

Servus Dei Nicolaus Wolf von Rippertschwand exemplaris paterfamilias fuit, civis difficilioribus in tempestatibus diligens, actuosus christifidelis, qui ex animo Ecclesiam diligebat, vir sui populi vicissitudinum funditus particeps: suo in testimonio prophetae verba dilucide confirmabantur.

Servus Dei die 1 mensis Maii anno 1756 in fundo v.d. *Neuenkirch* apud Lucernam in Confoederatione Helvetica, quintus ex duodecim filiorum, natus est. Primam institutionem in brevi hiemalis scholae tempore habuit, a fratre autem latinam et italicam linguam aliquantum didicit. Nicolaus tamen legendi libros fuit studiosissimus, in primis de agriculturae progressu, sed etiam de sui temporis spiritualibus afflatibus, de religione et denique de historia. Ad varias bibliothecas aditu fruebatur.

Anno 1768 sua cum familia in civitatem *Rippertschwand* transmigravit. Iubilari anno 1775 Romae Sanctae Hebdomadis peregrinatione commoratus est. Haec experientia iuvenis agricolae in vita multum valuit. Iam antea, cum decimum octavum annum aetatis ageret, strenue decertavit ut quidam conventus Canthonis Lucernensis servarentur, tamen abhinc amor in Ecclesiam vehementissimus evenit.

Die 8 mensis Februarii anno 1779 Barbaram Müller uxorem duxit et e matrimonio novem filii nati sunt, quorum solummodo quinque supervixerunt. Familiaris vita Servi Dei secundum fidem et liturgicum calendarium omnino regebatur. Ipse filios in legendi, scribendi et computandi disciplina instituit. Tres filiae in conventum ingressae sunt, duo autem filii ad matrimonium accesserunt. Anno 1798 Antiqua Confoederatio decessit et Nicolaus Wolf ex politicis quaestionibus cruciatus est. Ut minister electus in novo Nationali Legumlatorum Coetu sanae reformationis bonam voluntatem una cum propositis et exspectationibus sustinuit; tamen de tricis, de machinationibus, de proditionibus et denique de effera politica valde laboravit. Nationalis Coetus Lucernensis singulo vix mense stetit et constitutionem democrati-

cam pro Canthone redigere debuisset, sed ob Francogallicas minas et arma Confoederatio Canthonum Constitutionem Unitatis Helveticae coacta est admittere, sui Status identitatem relinquens.

Hoc regimine perdurante, Nicolaus vidit conventus eiusque bona publicatum iri et vero interire ob interdictum novitias recipiendi, praeterea et suspensio decimae fuit, quae Ecclesiam opprimebat. Haec condicio sociales contentiones auxit.

Vere anni 1803 Napoleon Confoederatis novum ordinem foederalem in viginti et duo Canthonibus dedit. Hac in vice Servus Dei in primo magno Lucernensis Canthonis Consilio electus est. Rursus novam constitutionem democraticam pro Canthone voluntas redigendi invalescit, Wolf tamen obiurgavit quod « nec fructibus experientiae uteretur nec in discussionibus antiquitatis et Sanctae Religionis principia invalerent ». Qua re munus dimisit, suas experientias et convinctiones studenti suo Iosepho Leu von Ebersol transmittens.

Illis annis Servus Dei donum supernaturale sanandi Iesu nomen invocando cognovit. Mirum in modum Nicolaus doloribus cruris, Iesu nomine invocato, sanatus est, singularem experientiam mysticam percipiens, ille per orationem ministrare inter finitimos aegrotos incepit. Multi enim eum requirebant ut sanarentur; ille autem iis instantiis semper promptus evasit, gerens una cum oratione et corporis et animi sanatione. Numquam pecuniam pro dono suo accepit. Haec experientia exemplaris et multis sacerdotibus fuit, etsi quidam dubium et oppositionem declaraverunt.

Recessus eius a politica renuntiationem suae sollertis studii in bonum populi non significavit; sed contra Servus Dei se efficaciore ministerio suppeditare fratribus posse intellexit, circa se enim congregare homines una cum quibus orare pro populo et Ecclesia incepit. Ipse omni vespere tres saltem per horas orabat. Gradatim in Canthone et etiam extra fines, fere reticulum coetuum hominum orantium constitutum est. Ad annum 1830 adversarii de hoc reticulo dictitabant esse fere *exercitum fidei*. Hic exercitus non a religiosis ducebatur, etsi aderant. Servus Dei laicus paterfamiliasque erat, non sine causa a primis biographi dicebatur *Pater lucis Fidei et Pater vitae Fidei Canthonis Lucernensis*.

Praecipua elementa « Patris Wolf » spiritualitatis, sicut dicebatur, eius immensus amor in Ecclesiam et eius viva participatio in eandem erant. Ab anno 1814 Status auctoritates eum aliquo modo coercere et impedire

inceperunt, quia suspicabantur eum de sectarismo sacerdotesque quosdam, ut de eo investigarent, deputaverunt. Sed a die 1 mensis Ianuarii anno 1815 Helvetici fines Dioecesis e iurisdictione Dioecesis Costantiensis disiungebantur et Vicariatus Generalis Apostolicus constitutus est, tantummodo Sedis Apostolicae subiectus. Nova iuridica dispositio, post primis inceptibus, Servum Dei valde iuvavit. qui enim auctoritatum permissu potuit donum supernaturalem suum libere exercere et populum pro bono Ecclesiae instituere. Status numquam eum impedivit et Lucernensi in Canthone libere agebat; deinde et media in Helvetia operam suam sine impedimento promovere potuit. Mense Septembri anno 1832, cum in conventu Sancti Urbani commoraretur, ille requirebatur ut mulierem aegrotam sanaret, quae eius oratione interposita consanescit. Insequenti dominica, post sanctae Missae celebrationem, cum multos aegrotos vicinis e locis, et maxime e Protestantium Bernensi regione curaret, Vespere facto, post hanc defatigatam diem, Nicolaus Wolf septuagesimum sextum annum aetatis agens, apoplectico ictu correptus est. Duas dies adhuc vixit. Amico suo sacerdoti haec extrema verba dixit: «Deus hoc omne fecit». Die 18 mensis Septembris anno 1832 vitales auras liquit. Eius exsequiae triumphalis pompa fuerunt usque ad *Neuenkirch* et testimonium perhibuerunt famae sanctitatis qua Servus Dei in vita etiam iuxta adversarios gavisus est.

Hac considerata fama sanctitatis, ab anno 1955 ad annum 1958 iuxta Curiam Basileensem Processus Ordinarius celebratus est, cui accessit e die 14 mensis Novembris anno 1997 ad diem 27 mensis Februarii anno 1998 Inquisitio dioecesana, quorum omnium iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 12 mensis Novembris anno 1999 est approbata. Die 22 mensis Novembris anno 2005 facta est Sessio Consultorum Historicorum. Exarata *Positione*, secundum normas disceptatum est an Servus Dei virtutes heroum in modum exercuisset. Positivo cum exitu, die 5 mensis Maii anno 2015 Peculiaris Congressus Theologorum actus est et die 17 mensis Novembris anno 2015 Ordinaria in Sessione Patres Cardinales et Episcopi se congregaverunt, me Angelo Cardinale Amato praesidente, et agnoverunt Servum Dei virtutes theologales, cardinales et adnexas heroum in gradum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die

declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Nicolai Wolf, Christifidelis Laici et Patrisfamilias, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 14 mensis Decembris a.D. 2015.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PERUSINAE-CIVITATIS PLEBIS et ARRETINAE-CORTONENSIS-BITURGENSIS seu BURGI SANCTI SEPULCHRI

De finium mutatione

DECRETUM

Quo aptius christifidelium pastorali curae consuli possit, Em.mus P.D. Gualtierus S.R.E. Cardinalis Bassetti, Archiepiscopus Metropolita Perusinus-Civitatis Plebis, et Exc.mus P.D. Richardus Fontana, Archiepiscopus-Episcopus Arretinus-Cortonensis-Biturgensis seu Burgi Sancti Sepulchri, auditis votis Em.mi P.D. Iosephi S.R.E. Cardinalis Betori, Archiepiscopi Metropolitae Florentini, et Consiliorum Presbiteralium praefatarum dioecesium, ab Apostolica Sede expostulaverunt ut memoratarum circumscriptionum ecclesiasticarum fines paululum immutarentur.

Congregatio pro Episcopis, rata huiusmodi immutationem animarum bono profuturam, vigore specialium facultatum sibi a Summo Pontifice Francisco, Divina Providentia PP., tributarum, oblatas preces accipiendas censuit.

Quapropter praesenti Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, a dioecesi Arretina-Cortonensi-Biturgensi seu Burgi Sancti Sepulchri partem territorii paroeciae civiliter nuncupatae «San Giovanni Evangelista, in Terontola, in provincia di Arezzo» seiungit et territorio paroeciae civiliter nuncupatae «San Martino in Borghetto di Tuoro», in archidioecesi Perusina-Civitatis Plebis, adnectit.

Ad haec perficienda Congregatio pro Episcopis deputat Exc.mum P.D. Hadrianum Bernardini, Archiepiscopum titulo Faleritanum et in Italia Apostolicum Nuntium, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eandem Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Congregationis pro Episcopis, die 15 Iulii 2017.

Marcus card. Ouellet
Praefectus

L. ✠ S.

Udo Breitbach
Subsecretarius

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Franciscus Pp., per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit Praesules:

die 29 Iunii 2017. — Cathedrali Ecclesiae Sancti Hyacinthi, R.D. Michaëlem Rodembourg, Societatis Missionariorum a Sanctis Apostolis sodalem, hactenus eiusdem societatis Consiliarium Generalem atque paroeciae Sancti Antonii de Padua in oppido vulgo dicto Longueuil Curionem.

die 30 Iunii. — Metropolitanae Ecclesiae Acapulcanae, Exc.mum D. Leopoldum González González, hactenus Episcopum Tapacolensem.

die 5 Iulii. — Titulari episcopali Ecclesiae Castrensis Galbae, R.D. Iosephum Nuzík, e clero archidioecesis Olomucensis, ibique Vicarium Generalem et Canonicum Capituli Metropolitani, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Vagensis, R.D. Antonium Basler, e clero archidioecesis Olomucensis, ibique paroeciae Sancti Michaëlis in civitate Olomucensi Curionem, Cancellarium Curiae et Canonicum Capituli Metropolitani, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 7 Iulii. — Metropolitanae Ecclesiae Mediolanensi, Exc.mum D. Marium Henricum Delpini, hactenus Episcopum titularem Stephaniacensem et Auxiliarem Mediolanensem.

— Cathedrali Ecclesiae Pineroliensi, R.D. Derium Olivero, e clero dioecesis Fossanensis, ibique hactenus Vicarium Generalem.

die 8 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Caeci Abulensis, R.D. Ioannem Gabrielem Diaz Ruiz, e clero archidioecesis Camagueyensis, ibique hactenus Parochum.

die 11 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Iunellensi, R.D. Andream E. Bellisario, Congregationis Missionis Sodalem, hactenus Rectorem Ecclesiae Concathedralis Dominae Nostrae Guadalupensi dicatae in urbe Ancoragiensi.

die 11 Iulii 2017. — Cathedrali Ecclesiae Clevelandensi, Exc.mum D. Nelsonium Iesum Perez, hactenus Episcopum titularem Catrensem et Auxiliarem dioecesis Petropolitanae in Insula Longa.

die 12 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Brixiensi, Exc.mum D. Petrum Antonium Tremolada, hactenus Episcopum titularem Massitensem et Auxiliarem Mediolanensem.

die 14 Iulii. — Metropolitanae Ecclesiae Anconitanae-Auximanae, Exc.mum D. Angelum Spina, hactenus dioecesis Sulmonensis-Valvensis Episcopum.

die 18 Iulii. — Titulari episcopali Ecclesiae Caeretanae, R.D. Iacobum Morandi, Congregationis pro Doctrina Fidei Secretarium, cum archiepiscopali dignitate.

— Cathedrali Ecclesiae Maris Platensis, R.D. Gabrielem Antonium Mestre, e clero eiusdem dioecesis Vicarium Generalem.

die 22 Iulii. — Titulari episcopali Ecclesiae Bararitanae, R.D. Faustinum Burgos Brisman, Congregationis Missionis sodalem, Moderatorem Provincialem Societatis Filiarum Caritatis in regione vulgo nuncupata Caraibi, quem deputavit Auxiliarem Metropolitanae Ecclesiae Sancti Dominici.

die 27 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Civitatis Guayanensis, R.D. Helizandrum Terán Bermúdez, O.S.A., hactenus Vicarium Provincialem Ordinis Fratrum S. Augustini in Venetiola.

die 29 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Tagbilaranae, R.D. Mel Rey M. Uy, e clero Rombloniensi, ibique hactenus oeconomum et secretariatus de rebus pastoralibus moderatorem.

die 31 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Casalensi, R.D. Ioannem Sacchi, e clero dioecesis Bugellensis, ibique hactenus Vicarium Generalem et paroeciae Sanctae Mariae in coelum Assumptae in oppido *Viliano Bugellensi* Parochum.

die 1 Augusti. — Cathedrali Ecclesiae Evriensi-Corbiliensi-Exonensi, Exc.mum D. Michaëlem Pansard, hactenus Episcopum Carnutensem.

die 2 Augusti. — Cathedrali Ecclesiae Crucis Axeatae, R.D. Hugonem Richardum Araya, e clero dioecesis Rivi Quarti Immaculatae Conceptionis.

die 3 Augusti 2017. — Cathedrali Ecclesiae Neuquenianae, Exc.mum D. Ferdinandum Martinum Croxatto, hactenus Episcopum titularem Fissianensem et Auxiliarem dioecesis Rivadaviae.

die 4 Augusti. — Cathedrali Ecclesiae Melphiensi-Rapollensi-Venusinae, R.D. Cyrum Fanelli, e clero dioecesis Lucerinae-Troianae, ibique Vicarium Generalem et Parochum.

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE

I. PROVISIO ECCLESIARUM

Franciscus divina Providentia Pp., latis decretis a Congregatione pro Gentium Evangelizatione, singulis quae sequuntur Ecclesiis sacros Pastores dignatus est assignare. Nimirum per Apostolicas sub plumbo Litteras praefecit:

die 1 Aprilis 2017. — Cathedrali Ecclesiae Evinayongensi, noviter conditae in Guinea Aequinoctiali, R.D. Callistum-Paulinum Esono Abaga Obono, e clero Bataënsi, hactenus Parochum et Rectorem Seminarii minoris dioecesis Bataënsis.

— Cathedrali Ecclesiae Mongomensi, noviter conditae in Guinea Aequinoctiali, R.D. Ioannem Dominicum-Beka Esono Ayang, C.M.F., hactenus Oeconomum Seminarii in loco Bata et professorem Seminarii Maioris Interdioecesani.

— Cathedrali Ecclesiae Ebebiyiensi, R.D. Michaëlem Angelum Nguema, S.D.B., hactenus Provincialem Societatis S. Francisci Salesii in Africa Aequinoctiali.

die 8 Aprilis. — Episcopum Coadiutorem Dalatensem, R.D. Dominicum Nguyen Van Manh, hactenus Vicarium iudicialem in eadem dioecesi.

— Titulari episcopali Ecclesiae Eminentianensi, R.D. Seyoum Franso Noel, hactenus Vicarium delegatum Vicariatus Apostolici Mekiensis et Directorem Nationalem Pontificalium Operum Missionalium in Aethiopia, quem constituit Vicarium Apostolicum Hosannensem.

die 9 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Ogogiaënsi, R.D. Donatum Edet Akpan, e clero dioecesis Ikotekpenensis, hactenus Parochum in archidioecesi Abugensi.

die 11 Aprilis 2017. — Metropolitanae Ecclesiae Nampulensi, Exc.mum D. Ignatium Saúre, I.M.C., hactenus Episcopum Tetiensem.

die 12 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Manadoënsi, R.D. Benedictum Stephanum Rolly Untu, M.S.C., Superiorem olim provincialem Missionariorum Sacratissimi Cordis Iesu in Indonesia.

die 23 Aprilis. — Metropolitanae Ecclesiae Nyeriensi, Exc.mum D. Antonium Muheria, hactenus Episcopum Kituiensem et Administratorem Apostolicum dioecesis Machakosensis.

die 24 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Yokadumanae, R.D. Paulum Lontsié-Keuné, e clero dioecesis Bafussamensis, hactenus Seminarii Interdioecesani Sancti Augustini in dioecesi Maruana-Mokolensi rectorem.

die 2 Maii. — Titulari episcopali Ecclesiae Bulelianensi, R.D. Ioannem Do Van Ngan, hactenus Seminarii Interdioecesani Sancti Ioseph in dioecesi Xuanlocensi professorem, quem constituit Auxiliarem eiusdem dioecesis.

die 20 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Kottarensi, R.D. Nazarenum Soosai, hactenus Parochum Sanctuarii *Our Lady of Ransom* in loco vulgo Kanyakumari.

die 31 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Bauchianae, R.D. Hilarium Nanman Dachelem, C.M.F., hactenus Parochum et Vicarium pro Religiosis in dioecesi Shendamensi.

die 23 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Sancti Georgii, R.D. Clyde Martin Harvey, e clero Portus Hispaniae, hactenus Vicarium episcopalem pro Religiosis.

die 28 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Pangkalpinangensi, R.D. Hadrianum Sunarko, O.F.M., hactenus Superiorem Provincialem et Praesidem Conferentiae Superiorum Maiorum in Indonesia.

— Episcopum Coadiutorem Cheiuensem, R.D. Pium Moon Chang-woo, hactenus Praesidem *Shinsong Girls' Middle School* in dioecesi Cheiuensi.

— Titulari episcopali Ecclesiae Sfasferiensi, R.D. Iob Koo Yobi, hactenus Parochum in oppido vulgo Po-I Dong, in archidioecesi Seulensi, quem constituit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

— R.D. Ariel Galido, M.S.C., Missionarium in Insulis Marshallensibus, quem constituit Praefectum Apostolicum eiusdem circumscriptionis ecclesiasticae.

die 30 Iunii 2017. — Cathedrali Ecclesiae Bonaventurensi, R.D. Ruben Darium Jaramillo Montoya, e clero Pereirano, hactenus Parochum et Universitatis Pereiranae rectorem.

II. NOMINATIONES

Peculiaribus datis decretis, Congregatio pro Gentium Evangelizatione ad suum beneplacitum renuntiavit:

die 11 Aprilis 2017. — R.D. Alexandrum Faedi, I.M.C, Administratorem Apostolicum «sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis» dioecesis Tetiensis.

die 23 Aprilis. — Exc.mum D. Petrum Kairo, Archiepiscopum emeritum Nyeriensem, Administratorem Apostolicum «sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis» eiusdem archidioecesis usquedum novus Archiepiscopus possessionem capiat.

die 13 Maii. — Exc.mum D. Gabrielem Edoe Kumordji, S.V.D., Episcopum Ketaënsem-Akatsiensem, Administratorem Apostolicum «sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis» Vicariatus Apostolici Donkorkromensis.

die 20 Maii. — Exc.mum D. Petrum Remigius, Episcopum emeritum Kottarensem, Administratorem Apostolicum «sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis» eiusdem dioecesis usquedum novus Episcopus possessionem capiat.

die 3 Iunii. — Exc.mum D. Abraham Kome, Episcopum Bafangensem, Administratorem Apostolicum «sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis» dioecesis Bafiensis.

die 17 Iunii. — Exc.mum D. Antonium Muheria, Archiepiscopum Nyeriensem, Administratorem Apostolicum «sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis» dioecesis Kituiensis.

die 30 Iunii. — Exc.mum D. Hectorem Epalza Quintero, P.S.S., Episcopum emeritum Bonaventurensem, Administratorem Apostolicum «sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis» eiusdem dioecesis usquedum novus Episcopus possessionem capiat.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Francesco ha nominato o confermato:

23 maggio 2017 S.Em.za il Sig. Card. Giuseppe Versaldi, Prefetto della Congregazione per l'Educazione Cattolica, *Membro della Congregazione per la Dottrina della Fede*, *«ad quinquennium»*; gli Em.mi Sig.ri Card.li George Alencherry e Fernando Filoni, *Membri del suddetto Dicastero*, *«in aliud quinquennium»* e gli Em.mi Sig.ri Card.li Angelo Scola, Donald William Wuerl e Francesco Coccopalmerio, *«usque ad octogesimum annum»*.

24 giugno » L'Ill.mo Prof. Giuseppe Dalla Torre, *Presidente del Tribunale dello Stato della Città del Vaticano, «donec aliter provideatur»*.

» » » L'Ill.mo Prof. Avv. Paolo Papanti-Pelletier, Giudice del Tribunale dello Stato della Città del Vaticano, *Giudice Unico* ad interim *dello Stato della Città del Vaticano*.

11 luglio » L'Ecc.mo Mons. Alberto Germán Bochatey, Vescovo tit. di Monte di Mauritania, Ausiliare di La Piata, Professore di Bioetica e Vice Cancelliere della Università Cattolica di La Piata (Argentina); il Rev.do Mons. Carlos Simón Vázquez, Delegato per la Sezione Famiglia e Vita del Dicastero per i Laici, la Famiglia e la Vita; gli Ill.mi Signori: Prof. Adriano Pessina, Professore di Filosofia Morale e Direttore del Centro di Ateneo di Bioetica dell'Università Cattolica del Sacro Cuore in Milano (Italia); la Dott.ssa Monica López Barahona, Direttore Accademico Generale dello *Biosciences Studies Centre*; Presidente della Delegazione spagnola della Fondazione *Jerome Lejeune*, Direttore della Cattedra di Bioetica *Jéróme Lejeune*, Madrid (Spagna); Prof.ssa Etsuko Akiba, Professoressa di Diritto presso la Facoltà di Economia dell'Università di Toyama (Giappone), *Membri del Consiglio Direttivo della Pontificia Accademia per la Vita, «ad quinquennium»*.

» » » Il Rev.do Mons. Hans-Peter Fischer, del clero dell'Arcidiocesi di Freiburg im Breisgau, Rettore del Pontificio Collegio Teutonico di S. Maria in Camposanto in Vaticano, *Prelato Uditore del Tribunale della Rota Romana*.

11 luglio 2017 Il Rev.do Sac. Pierangelo Pietracatella, del clero della Diocesi di Tortona, Officiale presso il Tribunale della Rota Romana, *Capo Ufficio del medesimo Tribunale*.

» » » Il Rev.do Mons. Giacomo Morandi, finora Sotto-Segretario della Congregazione per la Dottrina della Fede, *Segretario della medesima Congregazione per la Dottrina della Fede*, assegnandogli la Sede titolare di Cerveteri, con dignità di Arcivescovo.

25 » » Il Rev.do Mons. Denis Baudot, del clero dell'Arcidiocesi di Lyon, Officiale del Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica, *Vicario Giudiziale del Tribunale Ecclesiastico della Città del Vaticano*, «*per il prossimo quinquennio*».

» » » Il Rev.do Sac. Maurizio Gronchi, Professore Ordinario di Cristologia nella Facoltà di Teologia della Pontificia Università Urbaniana di Roma, *Consultore della Congregazione per la Dottrina della Fede*, «*in aliud quinquennium*».

NECROLOGIO

21	luglio	2017	Mons. Clímaco Jacinto Zarauz Carrillo, Vescovo em. di Azogues (*Ecuador*).
23	»	»	Mons. József Szendi, Arcivescovo em. di Veszprém (*Ungheria*).
25	»	»	Mons. Pierre Zévaco, C.M., Vescovo em. di Tôlagnaro (*Madagascar*).
26	»	»	Mons. Giovan Battista Pichierri, Arcivescovo di Trani-Barletta-Bisceglie (*Italia*).
3	agosto	»	Mons. Giovanni Benedetti, Vescovo em. di Foligno (*Italia*).
4	»	»	Mons. Raffaele Calabro, Vescovo em. di Andria (*Italia*).
22	»	»	Mons. Nestor Assogba, Arcivescovo em. di Cotonou (*Benin*).